



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 141. Et laqueo se suspendit. v. 5.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

Cat. Certè malum magnum est tristitia nimia & inordinata. quo enim non adegit ludam!

Deus meus ad te clamo, ne ita unquam affligar aut contrister, ut despetrem, aut nullam admittere velim consolationem, neue dæmon cor meum ita possideat, ut velim mihi manus violentas inferre, sed in omni tribulatione & angustia luccurre misero mihi peccatori, ut nunquam despetrem propter gloriam nominis tui.

§. 141. Et laqueo se suspendit. v. 5.

Ecce finis miserabilis peccatoris. Ecce finem. quid iam tibi profuere argenteis? quid cupiditas? quid omnia? O quam periculorum est pœnitentiam differre? & nolle audire Deum monentem? Horresco. Sed. Quid mirum si spiritu oris sui interclusi vitam perdidit proditor, qui spiritumoris lui, Christum, in captiuitatem vendidit, & quia per desperationem exclusit spiritum sanctum ex se, ita laqueus collo interclusus, inclusit spiritum eius in ipso ut deficeret in se ipso. Cum ergo ea sit cupiditatis improbitas & Tyrannis sollicitate & caute agere oportet eos, qui aliquem ei locum partemue in se dare sciunt, vel constituerunt, ne si angulum ei dederint, totam domum sibi vendicer. Spectent obsecro omnes cupidi hoc exemplum & tragædiam sæculorum omnium maximam admirantur. Quoniam autem omnes qui lethale peccatum admittunt, Christum velut hostibus suis tradunt, sollicite pensandum est, quantæ sit amentia ob terræ particulam, cœli terræque regem & conditorem à se abdicare, & quantum in eo est qui id facit, Iudæis crucifigendum rursus addicere, ita discemus caute agere, ne maculemus corda nostra lethalibus criminibus, & impoenitentes desperemus cum proditore, & æternum cum ipso damnamur.

HOrfescit animus ad exemplum Iudæ, Domine Deus meus, & timeo mihi ob nimia mea peccata ne & ego exclusero à me spiritum sanctum & deueniam in desperationem, ideo iam supplex procido ad pedes largitatis tuæ, ut peccata dimittas, veniamque largiaris nec in futurum punienda reserves, clamans jugiter humiliato corde & contritione aio: *Miserere, miserere* Domine *misererimo peccatori*, indigna agenti & assidue peccanti, non facias mihi secundum peccata mea, quibus iram tuam commerui; sed secundum magnam misericordiam tuam, quæ superaretiam peccata totius mundi. *Miserere mei, Domine, miserere mei* & adiuua me sicut nosti quod mihi est neceſſe in corpore & in anima, scis enim omnia & potes omnia melius, quam ego dicere possim.

§. 142. Principes autem Sacerdotum acceptis argenteis. v. 6.

Cum proditor ductus misera pœnitentia non bona, proiecisset in tem-